

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4357

Auteur(s) : Guillaume du Chêne [particulier]

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1279, avril

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume du Chêne, de la paroisse de Saint-Malo de La Lande, vend à l'abbé et aux chanoines de Sainte-Trinité de La Lucerne deux pièces de terre sise à Blainville pour 60 sous tournois. Les religieux lui ont payé également 4 sous tournois pour le droit de vente.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXLII, p. 126-127.

Dissertation critique

Avril 1279 ou 1280 (n. s.) : Pâques tombe le 2 avril en 1279 et le 21 avril en 1280.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Guillermus de Querqu (sic), de parrochia Sancti Macuti de Landa, vendidi finaliter et concessi penitus ac dimisi viris religiosis abbati et conventui Sancte Trinitatis de Lucerna, duas pecias terre quas de ipsis tenebam sitas in parrochia de Bleinville, videlicet in feudo As Burez, dictis religiosis in perpetuum tenendas et tanquam dominis capitalibus possidendas libere, pacifice et quiete sine impedimento et sine contradictione, seu aliqua reclamacione de cetero mei vel heredum meorum, cum omni jure quod habebam et habere poteram et debebam, et heredes mei post me, in terris supradictis de quibus una petia continet triginta perthicas terre et jungitur, ex lateribus, terre Droconis Le Buret et terre Roberti Ybert et butat, ex uno capite, ad torrentem qui descendit de mesnagio As Quiesneis et, ex alio capite, ad terram heredum Roberti Le Buret ; altera vero pecia continet unam virgatam terre et jungit, ex lateribus, terre Guillelmi Le Lewreor et terre Emme relicte Guillermi Torteroe, et butat, ex uno capite, ad terram Johannis Le Conte quam ibidem habet, ratione uxoris sue et, ex alio, ad terram dicti Jouvin que est ante domum ejus. Pro hac autem venditione taliter a me facta dederunt michi predicti religiosi sexaginta solidos Turonensium et integre persolverunt in peccunia numerata, de quibus me habeo et teneo penitus pro pagato. Insuper dimiserunt michi quatuor solidos Turonensium et sex denarios, de jure suo venditionis antedictae. Et ego et heredes mei tenemur prefatis religiosis predictam venditionem garantizare, deliberare et, pro posse nostro, defendere contra omnes vel alias in propria hereditate nostra ubiconque existat, si necesse fuerit, valorem ad valorem competenter excambiare, et supradictos religiosos, ex nunc et deinceps, ratione istius venditionis, indemnes et quietos in omnibus observare. Ad que omnia et singula que premissa sunt tenenda predictis religiosis et fideliter observanda per juramentum meum me et heredes meos obligo spontaneus et relinquimus perpetuo obligatos.

Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno Domini M CC LXX nono, mense aprili.